

striffima Dietrichsteinia gens in Carnis impetravit, quod circa Annum 1515. factum fuisse, Lazius supra citato loco, præten- dit. Sed ex Diplomate, quo Baronis dignitatem & alia Privile- gia Maximilianus I. An. 1514. Sigismundo Dietrichsteinio con- tulit, videre est, ipsum jam ante Annum 1515. Pincernæ in Ca- rinthia munus obtinuisse. (n)

CARNIOLÆ hæreditarii Pincernæ Anno 1518. Baro- nes de Tschernembl fuerunt, (o) Johannes Christophorus hujus gentis alumnus Anno 1596. iterumq; Anno 1598. & Georgius Erasmus Baro de Tschernembl Anno 1607. de hoc munere in- vestituram acceperunt. (p) Interjecto deinde tempore, Princeps Eggenbergius Johannes Ulricus Anno 1622. istud consecutus est, (q) penes ejus Nepotes hodiernum eminens hæc dignitas manet.

TYROLIS Pincernatus Anno 1300. ad Equites de Purck- stall spectavit, hos secuti sunt Anno 1360. Nobiles de Mez, qui- bus vitâ functis, Spauria Illustris Familia Anno 1420. successit. (r) Anno 1463. Matthias de Spaur se scripsit Pincernam hære- ditarium Tyrolis (s) Hildebrandus autem spartam eam Anno 1498. ornavit.

GORITIÆ Pincernæ Hæreditarii Comites de Lanthe- riis sunt, quos Ferdinandi III. gratiâ Officiales ibi constitutos fuisse, accepi.

(a) Streun. Land-Hand-Best pag. 298. (b) Vid. supra pag. 70. (c) Vid. supra pag. 215. (d) Archiv. Statuum N. 362. (e) Ibi. N. 2360. (f) Archiv. Hardeccian. (g) Ibi. (h) Archivum Liechtenstein. (i) Archiv. Feudal. Austriac. (k) Archiv. Feudale Grazens. (l) Ibi. (m) Lib. 6. pag. 193. (n) Spener. P. Spec. Op. Herald. L. 2. C. 21. (o) Val- vasor. Chron. Carniol. Lib. IX. C. 11. (p) Archiv. Feudal. Grazens. (q) Valvas. dict. loc. (r) Brandis im Tyrolischen Adlers Ehren-Krän- zel pag. 121. (s) Archiv. Stat. N. 2947.

CAPUT IX.

DE HÆREDITARIIS
DAPIFERIS.

AUSTRIÆ INFERIORIS Antiquissimi Dapiferi, Truch- sessii de Veldsperg dicti sunt. Sic in Diplomate Ottocari Regis Anni 1262. supra exhibito (a) inter Officiales Austriæ Ale- xander Dapifer de Veldsperg citatur. Inde est, quod Alberoni Dynastæ de Puechaim ab Ottocaro Bohemiæ Rege Anno 1276. Dapiferatus in Veldsperg cum omnibus ei annexis juribus in feu- dum datus fuerit, sequenti Diplomate :

Nos